

ret poena, non foret satisfactio, sed meritum solum; sicque remissionem poenae obtineret non via satisfactionis, sed meriti.

Dices 3. Satisfacere est honorem debitum Deo impendere, ut dicit Anselmus libr. 1. *Cur Deus homo* c. 11.; atqui hoc fit omni opere bono, etsi non sit poenale: ergo. R. D. M. Satisfacere est impendere honorem Deo debitum ex peccato commisso, C. debentur ex beneficio collato, aut mandato injuncto, N. Et ad hunc sensum, distincta Min. N. Conseq. Anselmus autem intelligit de honore Deo debito ex peccato commisso, cuius compensatio non fit nisi per opus poenale, ut patet per probat. Conclusionis.

Dices 4. Omnis actus virtutis est satisfactorius; sed dantur aliqui actus virtutum, qui non sunt poenales, ut temperantia, quem quis exercet comedendo cibos delicatos, aut bibendo vinum suave: ergo. R. N. Min. pro cuius argumenti ampliori solutione sit

§. II. *Utrum omnis actus virtutis sit poenalis, & consequenter satisfactorius?*

Dico. Omnis actus virtutis est poenalis, & satisfactorius. Quia omne opus, quo Deo servitur, & mens ad caelestia erigitur, natum est causare homini carnali, & terrenis assueti lassitudinem, & afflictionem. Unde iste actus, de quo in objectione, non est actus virtutis temperantiae, nec moraliter bonus in genere satisfactionis, nisi moderatè fiat, & ad finem bonum, & supernaturaliam ordinetur; sub ista autem ratione habet poenalitatem annexam, scilicet carentiam majoris delectationis, quae esset in ampliori comestione, & elevatione ad supernaturalia.

Inferes. Ergo Confessarius poterit injungere poenitentiam in satisfactionem, ut comedat cibos delicatos, & bibat vinum delectabile, quod est ridiculum, R. D. Illatum. Confessarius poterit, &c. nullam exprimendo poenitentiam, v. gr. dicendo simpliciter, comedes cibos delicatos, N. Illationem: hoc enim absque dubio foret ridiculum. Exprimendo poenitentiam, v. gr. dicendo, comedes cibos delicatos moderatè, C. Illationem; tunc enim veram injungeret poenitentiam: peccaret tamen graviter, maxime si ageretur de peccato mortali, eò quod sit indecens, & incongruum, maxime pro gravi peccato, injungere opus, quod est simpliciter delectabile, & poenale tantum secundum quid.

Ex his colliges 1. Quod, licet diversa sit ratio meriti, & satisfactionis de facto tamen omne opus meritorium sit satisfactorium, & e contra. Ratio primi est; quia, cum omne opus meritorium sit actus virtutis, habet semper adjunctam aliquam difficultatem, & molestiam, ut dicitur, licet, ex alia parte possit esse delectabile. Ratio secundi est; quod ad opus meritorium requiritur, & sufficit, quod sit liberum, bonum, & supernaturaliale; quod totum convenit operi satisfactorio, ut jam diximus, & dicemus.

Colliges 2. Ne dum opus externum, sed & opus internum etiam per se sumptum, esse satisfactorium; quia actus interior, ut contritionis, charitatis, orationis mentalis, &c. etiam per se sumpti, sunt optimi, difficiles, & poenales secundum se, licet per accidens, ob bonam dispositionem subjecti, de facto laborem aliquando non causent: unde etiam possunt injungi in poenitentiam a Confessariis. Nec refert, quod non videantur sensibiles; sicut enim contritio sufficienter sit sensibilis ad rationem Sacramenti per confessionem, ita actus internus pro poenitentia injunctus sit sufficienter sensibilis per impositionem Confessarii, & acceptationem poenitentis. Opus autem ipsum externum, quatenus ab interiori procedit, licet interiori non addat bonitatem intrinsecam, ut dicitur de actibus humanis, nec ideo addat ad meritum, quod attenditur penes bonitatem actus, quia tamen addit poenam distinctam ab interiori, addit vim satisfaciendi; quia satisfactio attenditur penes poenam, & laborem, & ideo jejunare est magis satisfactorium, quam velle jejunare, quia est magis poenale.

§. III. *Utrum opera aliis debita sint satisfactoria, possintque imponi a Confessario in poenitentiam.*

Dico. Opera, aliis debita, sunt satisfactoria, & per se loquendo imponi possunt a Confessario in poenitentiam; id tamen regulariter non licet. Prob. Pars. 1. Opus habet, quod sit satisfactorium, ex eo quod sit bonum, & poenale; atqui per hoc quod sit aliis debitum, puta ex voto, vel precepto, non desinit esse bonum, & poenale: ergo. Confirm. 1. Jejunia Ecclesiae sunt precepta, & nihilominus satisfactoria, in id enim instituta sunt. 2. Martirium, etiam eo casu quo cadit sub precepto, maxime Deo satisfaciunt. 3. Ex Trid. sess. 6. c. 10. & 16. opera bona, etsi ex precepto debita, sunt meritoria: ergo a fortiori satisfactoria. Ex etiam D. Th. qui art. sequenti do-

cet, flagella divinitus immissa esse satisfactoria, cum tamen aliunde teneamur ea patienter ferre.

Secunda Pars sequitur ex 1. si enim verè sint satisfactoria, nihil obstat, quominus possint injungi in poenitentiam. Prob. 3. Pars. Qui peccavit, ad aliquid novi est obligandus, tum ut sentiat vindictam suorum peccatorum, tum quia plus requiritur debet ab eo, quam ab innocente. Unde intentio Ecclesiae est, ut unusquisque satisfaciat pro peccatis suis aliquo peculiari opere; ac proinde, quando Confessarius injungit certas preces, jejunia, eleemosynas, &c. nihil addendo, intelligendum est de aliis, ad quae poenitens nulla alia ex causa tenebatur, nisi forte constaret de contraria intentione Confessarii.

Dixi, Regulariter: quia aliquando justis ex causis liceret imponere opus aliquoquin preceptum, ut reiterationem officii, jejunium Ecclesiasticum, illi, qui non haberet opportunitatem aliter satisfaciendi.

Dices 1. Nemo potest duplici debito satisfacere per unum, & idem pretium: ergo. R. D. Ant. dupliciter. 1. Cum Gonetico sic: nemo potest duplici debito satisfacere per unum, & idem pretium, habens tantum unum valorem, Transit: habens duplicem valorem, N. Opus autem satisfactorium habet duplicem valorem. Primus est valor moralis, desumptus ex objecto; & circumstantiis, & per hunc satisfit debito precepti, vel voti: alter est valor satisfactorius, petitus ex poena, & labore, qui in ejus exercitio reperitur; & per hunc satisfit Deo pro poena temporali peccato debita. 2. D. aliter idem Ant. cum Nugno, & Sylvio. Nemo potest duplici debito humano satisfacere per unum, & idem pretium, C. duplici debito divino, seu quoad Deum, N. Disparitas est, quod in debito humano attenditur tantum aequalitas rei ad rem; impossibile est autem, quod una res, seu unum pretium, puta decem floreni, sit aequale duplici debito, quorum unumquodque est decem florenorum. At in debito quoad Deum minus attenditur aequalitas rei ad rem, quam gratia Dei, qui magis respicit dignitatem, & intentionem operantis, quam id quod exterius exhibetur, ita quod aliquando solo actu voluntatis illi satisfacit. Ex hoc autem quod quis uni precepto satisfaciunt, nihil de illius dignitate, aut intentione detrahitur ad satisfaciendum alteri precepto, aut debito poenae, cum unum actum possit ordinare ad diversos fines, Utraque solutio est bona.

Dices 2. Opus satisfactorium debet subtrahere aliquam utilitatem, aut delectationem, alias non erit poenale. Sed opus, debitum aliunde, non est hujusmodi; quia illa utilitas, aut delectatio erat jam subtracta per antecedens preceptum: ergo. R. D. Ant. Opus satisfactorium debet subtrahere aliquam utilitatem, vel delectationem absolutè, C. novam, & distinctam, N. Sufficit enim, quod sit poenale simpliciter, non autem quod sit poenale nova poena: sed, etsi id requireretur, etiam reperiretur, siquidem nova obligatio ligetur homo ad actum illum exercendum, & ad ordinandum ad illum novum finem. Fatemur quidem, hanc poenam esse minimam. Unde diximus, ordinari non licere hujusmodi opera imponere in satisfactionem sacramentalem.

§. IV. *Utrum flagella praesentis vitae sint satisfactoria?*

Dico. (Ibid. art. 2. o.) Flagella praesentis vitae, si patienter tolerantur, sunt satisfactoria. Est Tridentini sess. 14. c. 9. ubi ea vocat, *Maximum amoris Dei argumentum*. Prob. 1. (Ibid. in arg. s. c.) Rom. 5. dicitur: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*, id est, a peccato purgationem, ut Glossa ibid. dicit: ergo. Prob. 2. (Ibid. o.) Hoc ipso quo homo acceptat flagella praesentis vitae ad purgationem peccatorum eis utens patienter, fiunt aliquo modo ipsius patientis: ergo sunt satisfactoria. Prob. Conseq. Quia, si quid obesset, ne forent satisfactoria, esset, quia non forent a nobis, sed ab alio, scilicet a Deo, quod pertinet ad rationem vindictationis. Unde, si homo omnino eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur ipsis; & ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis.

§. V. *Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria, scilicet Eleemosyna, Jejunium, & Oratio?*

Dico. (Ibid. art. 3. o.) Convenienter enumerantur opera satisfactoria, Eleemosyna, Jejunium, & Oratio. Prob. (Ibid.) Satisfactio, ut dicitur est, habet respectum & ad culpam praeteritam compensandam, & ad futuram cavendam; atqui ad utramque convenienter assignantur illa tria opera: ergo. Prob. Min. pro prima parte. Satisfactio, quatenus est compensatio, & vindictio culpe praeteritae, debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei, ut dicitur est; atqui non habemus nisi tria bona, scilicet bona fortunae

ex

ex quibus subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam; bona corporis, ex quibus subtrahimus nobis aliquid per jejunium; & bona animae, ex quibus non oportet, quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficiuntur Deo accepti, sed quantum ad hoc, quod ea submittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem: ergo satisfactio, quatenus respicit culpam praeteritam, &c.

Prob. Min. pro 2. parte. Satisfactio quatenus respicit culpam futuram ut cavendam, definitur ab Augustino, quod sit peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere; atqui sub utraque ratione ei convenienter assignantur tria opera: ergo. Prob. 2. pars Min. Radices peccatorum tres ponuntur 1. Joann. 2. scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitae; atqui contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium, contra concupiscentiam oculorum eleemosyna, & contra superbiam vitae ordinatur oratio: ergo. Prob. 2. pars Min. Omne peccatum committitur vel in Deum, & contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemosyna; vel in nos ipsos, & contra hoc ordinatur jejunium: ergo.

Verum observandum est (Ibid. ad 4.) illa tria opera posse accipi strictè & specificè, prout significant tres species virtutum, vel largè, ac genericè. Si 1. modo, tunc Conclusio non est sic intelligenda, quod illa sola sint opera satisfactoria, sed tantum quod inter alia sint aptissima & praecipua, singulariter in Scripturis & Patribus commendata, & quae facile veniunt in usum hominum. Si 2. modo, tunc vera est universaliter Conclusio, quod illa sola sint satisfactoria, quia omnia alia ad illa possunt reduci. Sic quidquid ad afflictionem corporis pertinet, ut vigiliae, asperitas victus ac vestitus, peregrinationes, lacrymae, solitudo, & similia, totum ad jejunium referuntur. Quicquid in proximi utilitatem expenditur, eleemosynae rationem habet. Et, similiter quaecumque laetitia exhibetur Deo, ut sacrificium, laus, gratiarum actio, contemplatio, &c. orationis rationem accipit.

ARTICULUS IX.

De conditionibus & effectibus satisfactionis.

Quamvis in tota hac Dissertatione plures satisfactionis conditiones hinc & inde assignaverimus, eas cum quibusdam aliis summam hic refero in majus commodum Lectoris. Unde

Dico 1. Conditiones requiritur ad satisfactionem, quaedam se tenent ex parte satisfaciendi, quaedam ex parte operis, quaedam ex parte Dei. Conditiones ex parte satisfaciendi sunt. Prima, quod sit in gratia, ut satisfaciatur de condigno, vel quod deponeret affectum ad peccatum, ut satisfaciatur de congruo latè. Patet ex art. 7. Secunda, quod sit in statu vitae; quia eodem modo hic loquendum est de satisfactione, ac de merito: ad meritum autem requiritur status vitae; & defectu hujus conditionis animae in Purgatorio non satisfaciunt, sed satisfaciuntur. Conditiones ex parte operis sunt. 1. quod sit liberum, quia est actus humanus. 2. quod sit bonum, quia per opera mala potius meremur poenam, quam poenae remissionem. 3. quod sit supernaturaliale, quia remissio poenae pertinet ad ordinem supernaturalem; poenae enim debitum retardat nos a fine ultimo supernaturali consequendo. 4. quod sit poenale; constat ex art. praeced. §. 1.

Conditio ex parte Dei est, quod acceptet tale opus in satisfactionem. Constat ex art. 7. Concl. 1.

Dico 2. Satisfactio sacramentalis (de ea sola hic agitur) causatur ex opere operato remissionem poenae temporalis; ad id enim est instituta. Unde Trid. sess. 14. c. 3. dicit, contritionem, confessionem, & satisfactionem esse partes materiales poenitentiae; quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur. Et S. Th. Quodl. 3. art. 28. Cum satisfactio, inquit, a Sacerdote absolute injuncta, sit pars poenitentiae, manifestum est, quod in ea operatur vis clavium, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si propria arbitrio homo faceret idem opus. Magis adhuc constabit ex sequent. Concl. Unde

Dico 3. Probabile est, quod satisfactio sacramentalis causetur ex opere operato gratias actuales, augmentum gratiae habituales. Prob. Satisfactio sacramentalis id causat ex opere operato, quod significat; est enim pars Sacramenti Poenitentiae, ut modo dicebamus ex Trid. & S. Th. pars autem debet participare naturam totius Sacramenti, cuius est causare, quod significat quia est signum practicum; atqui satisfactio sacramentalis non solum significat remissionem poenae temporalis, sed etiam gratias actuales, & augmentum gratiae habituales: ergo. Prob.

Min. Satisfactio sacramentalis potest considerari, vel ut est pars Sacramenti praecise, vel ut est talis pars, scilicet satisfactio. Si hoc 2. modo: non solum significat remissionem poenae pro peccatis praeteritis, sed etiam majorem facilitatem cavendi futura, quae facilitas ex auxiliis gratiae potissimum provenit. Si 1. modo significat gratiam; id enim proprium est omnibus Sacramentis, & cum primam supponat in absolute collatam, non nisi secundam, seu primae augmentum significat & causat.

Eaque videtur expressa sententia Auctoris 3. p. q. 90. art. 2. ubi cum 2. loco sibi objecisset: *In sacramentis novae Legis confertur gratia, sed in satisfactione non confertur aliqua gratia: ergo satisfactio non est pars Sacramenti*: respondet sic: *Ad 2. dicendum, quod satisfactio confertur gratiam, prout est in proposito, & auget eam prout est in executione, sicut etiam Baptismus in adultis, ut supra dictum est*. Neque potest intelligi de satisfactione, ut contentit Henno: alioquin non responderet argumento, quod est de satisfactione ut satisfactio est. Insuper eodem modo loquitur de satisfactione in executione, ac de satisfactione in intentione; satisfactio autem sacramentalis in proposito cum acceptatur, quae talis causat gratiam. Unde, si quid aliud tenuerit S. Doctor in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. debet censi hic revocatum.

Dices: Per unum Sacramentum non confertur nisi una gratia: unde in Sacramento Eucharistiae species vini non causant novum gradum gratiae distinctum ab eo, quem species panis prius causaverant: ergo. R. quod gratia, quam causat satisfactio, cum sit complementum illius, quae fuit causata in absolute, non ponat in numero cum illa. Ad id autem, quod obijcit de sacramento Eucharistiae, disparitas est, quod, cum species panis totam virtutem hujus Sacramenti, scilicet totum Christum, contineat, totum ejus effectum producat: unde non mirum, si postea species vini nullam novae gratiae gradum conferant, cum totam virtutem Sacramenti continent; sed, cum sint cum satisfactione partes separatae & quasi heterogeneae, unicuique sua virtus correspondet. Alia argumenta videri possunt apud Gonet disp. 13. art. 3. §. 2.

Ceterum, quidquid sit de istis duobus ultimis effectibus, cum saltem constet, satisfactionem sacramentalem esse majoris efficaciae ad remissionem poenae, quam spontè susceptam; maxime interest, quod Confessarius illam injungat, & poenitens adimpleat: consultumque est, quod Confessarius post injunctam satisfactionem determinatam simul injungat in satisfactionem sacramentalem omnia bona opera futura poenitentis, saltem ad certum tempus, ad octiduum, ad mensem, etiam ad annum. Quidam id putant fieri per ea, quae addunt post absolute solutionem, *Passio Domini nostri Jesu Christi, &c. Quidquid boni feceris, &c.* Verum haec, eo modo quo proferuntur, videntur potius esse oratio Sacerdotis deprecantis omnia bene esse poenitentis; non enim elevat ad esse sacramentale Passionem Christi, merito B. Virginis, & omnium Sanctorum. Si tamen id intenderet de bonis futuris poenitentis, & id ipsi indicaret, non video, quid obstarat, etiam id fieri pro toto vitae tempore.

Praeter hos effectus satisfactionis sacramentalis, sunt plures ejus utilitates, quas recenset Concilium Trid. sess. 14. c. 8. 1. Ne leviora reputentur peccata, tam duris poenitentiae laboribus expianda. 2. Ut deterreantur poenitentes a peccatis futuris, & in eis cavendis vigilantiores reddantur. 3. Per illas satisfactiones eradicanter habitus vitiosi. 4. Imminentem Dei iram avertunt. 5. Nos Christo capiti conformes efficiunt. 6. Sunt in exemplum & aedificationem aliorum.

DIGRESSIO HISTORICA.

De veteri Ecclesiae disciplina circa poenitentiam publicam, seu solemnem.

D. Th. Suppl. Q. 28.

AD DISSERTATIONEM PRÆCEDENTEM.

SECTIO I.

De origine, variis gradibus, ritu & abrogatione Poenitentiae sollemnis.

Dico 1. Fuit olim in Ecclesia usus triplicis poenitentiae, scilicet privatae, sollemnis, & publicae. Privata in secreto agebatur ex praescripto Confessarii, qualis nunc peragitur, dum Confessarius injungit certis diebus per mensem, aut annum jejunium, orationem, aut aliquid aliud. Hanc olim viguisse constat ex eo, quod non omnia peccata subijcerentur poeniten-

tiae

sive publicæ, ut dicitur infra, & tamèn sunt omnia pœnitentia expianda. Pœnitentia solemnis erat, quæ peragebatur cum certis solemnitatibus, & secundùm varios gradus, de quibus statim. Publica erat, quæ quidam publicè agebatur, sed sine solemnitatibus & gradibus: talis erat pœnitentia eorum, qui v. gr. plectebantur peregrinatione, exilio, detrusione in Monasterium. Undè omnis pœnitentia solemnis erat publica, sed non e contra.

Notat Auctor (Suppl. q. 28. art. 3.) quod, quia antiqui Canones & Patres de pœnitentia Solemni sub hac voce non meminissent, Auctores quandoque utrumque confundant, & pœnitentiam solemnem pro publica accipiant. Qui pœnitentiam solemnem stadiam decurrebant, si propriè & simpliciter dicebantur *Pœnitentes*, ut ait Aug. Ep. 265. ad Seleucian. & serm. 392.

Dico 2. Ab exordio Ecclesiæ ad Montanum, circa medium 2. sæculi, fuit aliquis usus pœnitentia publicæ, sed non solemnis. Prima Pars constat exemplo Corinthii incestuosi, item mulierum a Marco præstigiatore oppressarum, de quibus Irenæus 2. sæculo l. 1. adversus hæreses c. 9. Secunda Pars iisdem exemplis patet; quævis enim horum pœnitentia fuerit publica, non tamèn fuit secundùm cœremonias, gradus, & tempus pœnitentia solemnis. Item ex libro Hermæ, seu Pastoris, in quo sæpè fit mentio pœnitentia absque ulla designatione temporis, cœremoniarum, aut graduum. Ex Eusebio l. 5. Hist. c. ultimo, ubi refert juvenem prædonem a S. Joann. Evangelista, & Natalium Episcopum a Zephrino, statim absque diuturniori pœnitentia ad Ecclesiæ communionem receptos fuisse. Quod verò posset opponi ex Can. 24. inter Apostolicos, nullus est ponderis; quia notum est, hos Canones non esse ab Apostolis, & quamvis sint antiqui, non omnes tamèn pari antiquitatis jure gaudent.

At, cum Montanistæ exprobrarent Catholicis, quod indulgerent Idolatriæ, Mœchiis, & Homicidis, Ecclesia cum his severius agere cepit, duriorumque & diuturniorum pœnitentiam injunxit, nondum tamèn solemnem. Exorta verò circa medium 3. sæculi hæresi Novatianorum, qui Montanistis juncti peccatoribus quibuscumque quantumvis pœnitentibus veniam & communionem denegandam esse contendebant, atque sub specioso disciplinæ zelo contra Ecclesiam quasi pollutam debacchabantur, èd quod idololatricæ & gravissimis criminibus reis communionem, & pacem redderet, hæcque facilitate venie incitamentum peccandi præberet. Ecclesia, ex una parte horum hæreticorum crudelitatem detestans, & ex altera ipsis querelam occasionem auferre volens, prudenter statuit omnibus peccatoribus verè conversis veniam quidam esse concedendam; nocentiores tamèn severiori pœnitentia esse mulcendos; idèoque pro istis instituit pœnitentiam solemnem secundùm quatuor gradus, qui sunt *Fletus*, *Audientia*, *Substratio*, & *Consistentia*. Hos expressit S. Greg. Thaumaturgus circa idem tempus Ep. Canonice Can. 11. & dato, ut quidam arbitrantur, hunc Canonem Epistolæ S. Gregorii esse assutum, saltem can. 7. 8. & 9. exprimuntur gradus *Audientia*, *Substratio*, *Consistentia*. Insuper in Concilio Ancyrano ann. 315. can. 4. & 5. referuntur hi gradus, tamquam in Ecclesia jam antè recepti: illosque distinctè exprimit S. Basil. circa ann. 370. in Ep. ad Amphiloc. can. præsertim 75.

Dico 3. *Fletus*, habitu sordido induti, cilicio circa collum cooperiti, cinere in capite deturpati, & per manuum impositionem ab Episcopo ad pœnitentiam admissi, stabant in porticu extrâ Ecclesiam, sua peccata deflentes & detestantes, & ingredientium preces implorantes. Inter eos quidam dicebantur *Hieremites*: ii nempe, qui ob crimen bestialitatis extrâ porticum sub diu instantibus aliorum commiserationem deprecabantur. His, ut quidam volunt, jungebantur *Emergentes*. *Audientes* stabant intrâ fores Ecclesiæ in Propylæo, ubi audiebant lectionem Scripturarum, & sacras Conciones, indeque exire cogebantur, antequàm inchoaretur Missa Cathecumenorum. *Substrati* stabant a foribus Ecclesiæ usque ad Ambonem, seu Pulpitum, in quo legebantur Epistolæ & Evangelium, & ibi prostrati, seu genuflexi, variis penis, & laboribus exercabantur, ita ut hæc statio antonomasticè vocaretur *Pœnitentia*. Frequenter super hos fiebant manûs impositiones & orationes. Cum Cathecumenis exhibant ad Offeritorium. *Consistentes* stabant ab Ambone usque ad Sanctuarium, non egrediebantur cum Cathecumenis, sed precibus & sacrificiis cum aliis fidelibus usque ad finem assistebant, sola Eucharistia participatione privati. Ea omnia compendio commemorat S. Greg. Thaumaturgus Ep. citata. Præter hæc, & poenas cuilibet peccato assignatas in Canonibus, pœnitentes non poterant ad sacros Ordines promoveri, nec matrimonium contrahere, neque ad uxorem accedere; & idè conjugatis non injungebatur pœnitentia solemnis, nisi altero conjuge consentiente: item non poterant militare, arma gestare, comas nutrire; tenebantur pedibus incedere, & mortuos sepelire.

Dico 4. (*Ibid.*) Ritum in imponenda pœnitentia publica, & in reconciliatione servari solitum describit S. Thom. ex decreto d. 50. cap. 65. his verbis: "In capite Quadragesimæ (seria 4. Cinerum) tales pœnitentes præsentant se cum Presbyteris suis Episcopo Civitatis antè fores Ecclesiæ, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, coma deposita; & eis in Ecclesiam introductis, Episcopus cum omni Clero 7. Psalmos pœnitentiales dicit, & postmodum eis manuum imponit, aquam benedictam super eos spargit, & cinerem super caputibus superponit, cilicio colla eorum operit, & denuntiat eis lacrymabiliter, quod, sicut Adam ejectus est de Paradiso, ita ipsi de Ecclesia ejiciuntur. Postèa jubet Ministris, ut eos ab Ecclesia pellant, Clero eos prosequente cum hoc Responsorio, *In sudore vultus tui*, &c. In Coena Domini quolibet anno a suis Presbyteris in Ecclesiam reducantur: & erunt ibi usque ad octavas Paschæ, ita tamèn quod non communicabunt, nec pacem accipient: & sic fiet quolibet anno, quousque aditus Ecclesiæ fuerit eis interdictus. Ultima autem reconciliatio reservatur Episcopo, ad quem solum spectat solemnis pœnitentia impositio. Huc usque S. Doctor."

Dico 5. Rigor pœnitentia solemnis a tempore Nectarii circa finem 4. sæculi, qui, ut alibi diximus, Pœnitentiarum exactoravit, minui cepit in Ecclesia Orientali. Secundum nostrum Goar in suis notis ad Eucologium Græcorum tres primi gradus, scilicet *Fletus*, *Audientia*, & *Substratio*, fuerunt extincti, sola *Consistentia*, seu privatione Eucharistia retenta. Volunt tamèn alii, quod post istud factum adhuc viguerit quod omnes gradus, sed rarius & propter atrocitatem tantum criminum a solo Episcopo imponenda; quia Canone 87. Concilii Trullani ann. 692. de maritis, qui legitima uxore repudiata aliam ducunt, dicitur: *A Patribus enim nostris statutum est, ut, qui sunt ejusmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio substerneantur, & septimo cum fidelibus consistent, & sic oblatione digni habeantur*. Nisi forè dicas, Patres hujus Concilii revocare quidem in mentem, quod olim hæc in re statutum fuerat, at ejus observationem non præcipere.

In Ecclesia Occidentali diutius substitit rigor pœnitentia solemnis, nec nisi post 7. sæculum antiquari cepit. Ad hoc enim tempore in Pœnitentialibus & Ritualibus nulla amplius fit mentio solemnium graduum, nec impositio manuum, qua Pœnitentes reconciliabantur, & loco pœnitentia solemnis injunctæ sunt peregrinationes, recessus in Monasteria, eikemosynæ, & alia pia opera. Hujus mutationis occasio tribuitur Theodoro Episcopo Cantuariensi, qui, cum esset natione Græcus Ecclesiæ suæ ritum in suo Pœnitentiali inseruit.

SECTIO II.

Quæ peccata fuerint Pœnitentiæ solemnii subjecta?

Dico 1. (*Ibid.*) Peccata omnino occulta nunquam vi Canonum pœnitentia publicæ, seu solemnii fuerunt obnoxia, sed ea tantum, quæ aliquo modo erant publica. Dixi, vi Canonum; quia non negamus plures peccatores occultos esse fervore contritionis spontè, vel motu proprio, vel hortante, non cogente Confessario, pœnitentiam solemnem suscepisse: quin imò plures innoxii, & moribus spectatissimi ex zelo pietatis se illi voluntariè addebant. Ita constat ex Origene hom. in Ps. 37. Aug. Serm. 144. de tempore, & Ep. ad Seleucian. Ex S. Cesario Arelat. hom. 1. & exemplis Fabiolæ, de qua S. Hieron. Ep. 30. & 84. ad Oceanum, Vvambæ Gothorum Regis, de quo Concil. Tolet. 12. S. Gaudenti, de quo Concil. Tolet. 13. & aliorum. Dixi etiam: *Quæ erant aliquo modo publica*; quia, non solum quæ erant apud Judicem delata, & probata, sed etiam quæ cum plurimum scandalo erant commissa, licet nec delata, nec probata, pœnitentiæ solemnii fuisse addicta concedimus.

Prob. Conclusio. Concilium Neocesariense can. 4. eximit a pœnitentia publica peccata cogitationis; S. Basil. Ep. ad Amphiloc. mulieres adulteras; S. Greg. Nyss. Ep. ad Letojum can. 6. furtum occultum; Concil. Vastense ann. 442. can. 8. *Si Episcopus, inquit, se tantum alieni sceleris conscium noverit, quamdiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret*. Aug. Serm. 82. alias 16. de verbis Dom. c. 7. ergo, inquit, *corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa verò corripienda sunt secretis, quæ peccantur secretis*. Ex cap. 8. *Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publicè corripere, at tu queris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto, pono ante oculos Dei iudicium, terro erunt am conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus... sunt homines adulteri in domibus suis, in quibus secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoris suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem querentibus, nos non prodimus palam, sed in*

DE SACRAMENTO PœNITENTIÆ.

secreto arguimus. Ubi contingit malum, ibi moriatur malum.

Non itaque existimandum est, poenas per Canones Pœnitentiales statas, semper esse publicas, sed publicas pro peccatis publicis, secretas pro secretis, ut docet Aug. de adulterio cognito & incognito Serm. 392. alias hom. 49. inter 50. cap. 5. Quæ opponunt Natalis Alex. Juenin, Vvitasæ, & alii, diluuntur ex duplici observatione, post conclusionem posita. Intelligenda sunt enim vel de peccatis, quæ licet non essent delata & probata, innotescant tamèn pluribus, & sic aliquo modo erant publica; vel de pœnitentia publica, spontè, sive motu proprio, sive studente Confessario suscepta; vel tandem de pœnitentia, sumpta pro Sacramento, quæ potest dici publica, quatenus administratur prostratis & gementibus in conspectu Ecclesiæ, & a Ministro publico.

Dices insuper. Homicidium subijcebat pœnitentiæ publicæ; atqui intelligi non potest de homicidio publico; alioquin in illud capitali supplicio sævisset Index Sæcularis: ergo de occulto. R. N. Min. & ejus probationem; poterat enim, etsi aliquo modo publicum, effugere animadversionem Judicis Sæcularis; quia vel delatum non erat, vel non satis probatum, vel a Principe, mediante pecunia, aut intercessionem Episcopi, ut tunc sæpè fiebat, condonatum, vel immunitate Ecclesiæ, ad quam ut asylum reus confugerat, jurisdictioni sæculari subductum.

Dico 2. Non omnia peccata mortalia, etiamsi publica, subijcebat pœnitentiæ solemnii, sed atrociora tantum, præsertim idolatria, mœchia, & homicidia, & quæ ad ea manifestè reducuntur, quibus postea quedam alia adjuncta sunt. Prob. 1. Apud Patres & Synodos 3. & 4. sæculi, Tertullianum, Cyprianum, Originem, Gregorium Thaumaturgum, Synodum Eliberitanam, Ancyranam, Neocesariensem, non nisi hæc tria assignata & eorum species pœnitentiæ solemnii addicuntur. 2. Concilium Laodicenum ann. 330. can. 7. a pœnitentia solemnii eximit Hæreticos. S. Basil. Ep. ad Amphil. can. 13. & 30. S. Greg. Nyss. Ep. ad Letojum can. 6. eximitur usurarios, avaros, fures, & raptores. Aug. Ep. 22. alias 64. ad Aurelium eximit commensationes & ebrietates, quæ a rudiori plebe committebantur ad Sepulchra Martyrum; & Serm. 352. alias hom. 27. inter 50. pœnitentiæ lactuose, in qua propriè vocantur Pœnitentes, subijcit tantum gravissima delicta, scilicet adulterium, homicidium, & sacrilegium. S. Leo Ep. 2. alias 92. ad Rusticum Narbonensem, Idolatriam, homicidium & adulterium addit Pœnitentiæ publicæ, usum immolationum secrete.

Dices. Tertullianus l. de pœnit. cap. 4. dicit: *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per iudicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spondit*; atqui ibi loquitur de pœnitentia publica & solemnii, quæ c. 9. & 10. describitur: ergo. R. N. Min. In prioribus enim capitibus usque ad septimum agit Tertullianus de Pœnitentia ut sic, prout est communis baptizatis & non baptizatis; & in sequentibus tantum a septimo agit de pœnitentia publica.

SECTIO III.

Utrum Clerici majores, scilicet Sacerdotes & Diaconi, subijcerentur Pœnitentiæ solemnii?

MORINUS, Natalis Alex. Juenin, & alii censent, subjectos fuisse 3. primis sæculis, 4. autem sæculo ab ea fuisse liberos. Negant alii pro quovis sæculo, cum quibus & Auctore.

Dico. (*Ibid.*) Sacerdotes & Diaconi quamvis possent spontè suscipere pœnitentiam solemnem, numquam tamèn ad eam subeundam lege lata fuerunt obnoxii. Prob. 1. Can. 11. Concilii Carthagin. V. ann. 392. statuit sic: *Confirmatum est, ut, si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua gravius culpa convicti fuerint, quæ eos a Ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur*. Quibus verbis, ut pater, Concilium non inducit novam disciplinam, seu priorem confirmat. S. Leo Ep. 92. ad Rusticum Narbon. ann. 442. *Alienum est, inquit, a consuetudine Ecclesiastica, ut, qui in Presbyterii honore, aut Diaconi gradu fuerint consecrati, si pro crimine aliquo suo, per manus impositionem, remedium accipient pœnitentiæ: quod sine dubio ex apostolica Traditione descendit*. Quod autem illud est a consuetudine Ecclesiastica, numquam viguit, & quod ex apostolica Traditione descendit, semper viguit in Ecclesia.

2. S. Petrus Alexandr. inter Canones, quos edidit Canon, 10. & S. Basilius Can. 51. assignant pro pœnitentia Clericis amotionem a suo ministerio, & communionem Laicam: alioquin, inquit Basilius, si Clericus insuper subijceretur pœnitentiæ solemnii, duplici supplicio puniretur. 3. Optatus Milev. l. 2. contra Parmen. & August. l. 1. de Bapt. c. 1. redarguunt Donatistas, qui lapsis clericis majoribus manus imponebant; & addit

Optatus, id ad usque sua tempora non esse factum.

Quæ opponunt Adversarii de Pœnitentia Felicis, Trophini, Victoris, Fortunatiani, & Basilidis, qui erant majores Clerici, recensita in Ep. Cypr. 19. 52. 59. 64. & 68. & de Pœnitentia Natalis Episcopi apud Eusebium l. 5. Hist. cap. ult. una distinctione, de qua initio hujus Digressionis, inter pœnitentiam solemnem & publicam, solvantur. Non equidem negamus, majores Clericos publicè lapsos publicam pœnitentiam, non solum primis tribus sæculis, sed quovis tempore subisse, nimirum amotione a suo ministerio, degradatione, ergastulo, detrusione in monasteria elemosynis, & aliis piis operibus; postulat enim recitatio, ut, qui scandalum præbuit, illud reparet; maxime in Clericis. At negamus, eos lege lata subisse pœnitentiam solemnem antè descriptam, de qua est Conclusio. In exemplis autem, quæ proferunt, erat pœnitentia publica non solemnii; aut si solemnii, erat spontè suscepta, ut pœnitentia Natalis.

SECTIO IV.

De unitate pœnitentiæ solemnii, & de multiplici tam manûs impositione, tum pœnitentiæ reconciliatione.

Dico 1. (*Ibid.* art. 2. o.) Pœnitentia solemnii semel tantum concedebatur. Prob. ex S. Ambrosio, qui l. 2. de Pœnit. c. 10. ait: *Sicut unum Baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamèn publicè agitur*. S. Aug. Ep. 54. ad Macedon. nunc 153. dicit, *locum humillimè pœnitentiæ semel in Ecclesia concedi*. Siricius Papa desinente sæculo 4. Ep. 1. ad Himericum Tarracon. c. 5. 2. quo consultus fuerat, quomodo esset agendum cum iis, qui post pœnitentiam solemnem peractam relaberentur, respondit sic: *De quibus, quia jam suffragium non habet pœnitentiæ, scilicet publicè, ita divinus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacre mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a dominicè autem mensæ convivio segregentur, ut hæc saltem distinctione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur*. Quibus tamèn, quoniam carnalis fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad dominium caperint proficiscer per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deinvenerunt, servandum esse censemus.

Hujus disciplinæ rationes sunt 1. (*Ibid.*) Ne ex iteratione pœnitentia solemnii vilesceret. 2. propter significationem, quia significat expulsionem primi hominis de Paradiso, quæ semel tantum facta est. 3. quia solemnizatio est quasi quedam professio pœnitentiam perpetuò servandam, & idè iteratio solemnizatio repugnat. Qui tamèn (*Ibid.*) sive in eadem, sive in graviora peccata post peractam pœnitentiam solemnem erant relapsi, omni remedio non destituebantur, sed ad pœnitentiam privatam poterant & debebant recurrere, ut docet Siricius supra. Nullum enim peccatum est, aut fuit aliquando iremissibile, ut probavimus initio hujus Tract. contra Montanistas & Novatianos. Neque inde sequitur, relapsos esse melioris conditionis, quam primò peccantes: quia relapsi in ea peccata, quæ pœnitentiæ solemnii erant obnoxia, tenebantur toto tempore vite pœnitentiam agere, nec eis nisi in exitu Eucharistia concedebatur; quod erat durius, quam post certum solemnii pœnitentiæ tempus ad absolutam & completam reconciliationem admitti.

Dico 2. Multiplex erat in pœnitentia solemnii manûs impositio. Prima erat, dum pœnitentes ad pœnitentiam ab Episcopo admittebantur, ex Can. 15. Conc. Agath. Can. 12. Conc. Tolet. 11. ex S. Leone Ep. ad Rusticum prius laudata. Secunda, & sæpius iterata, erat in substratione; ex Can. 80. Conc. Carthag. ann. 398. ex cap. 11. Conc. Tolet. ann. 398. ex cap. 11. Conc. Tolet. ann. 389. & ex Aug. serm. 232. de Tempore, alias 144. Tertia etiam, dum de gradu substractionis pœnitentes ad consistentiæ gradum transibant: innotuit in Epistolis S. Cypriani 10. 11. 12. Quarta demùm erat, dum finito pœnitentiæ tempore pœnitentes perfectè reconciliabantur, & ad perceptionem Eucharistia admittebantur: ex Can. 7. Concilii Carthag. IV. & 3. Concilii Araus. 1. & hæc a solo Episcopo fiebat, ut môx dicam.

Dico 3. Duplex erat reconciliatio pro pœnitentibus solemnibus. Una minor, & prima; altera major, & secunda. Prima fiebat post substractionem, seu tertium gradum; & per eam pœnitentes reconciliabantur cum Ecclesia quoad communionem precum, & Sacrificii, cui adesse poterant cum aliis fidelibus usque ad finem. Secunda fiebat post consistentiam, seu quartum gradum; & per eam pœnitentes reconciliabantur Ecclesiæ; etiam quoad participationem Eucharistia, ad quam liberè sicut alii fideles poterant accedere. Primam concedere poterant simplices Presbyteri, vel intrâ Ecclesiam de consensu Episcopi, vel extrâ Ecclesiam in casu necessitatis, etiam inconsulto Episcopo, si abesset. Secundam numquam concedebant simplices Presbyteri.

byteri, nisi in caso mortis ex mandato Episcopi post informationem de statu poenitentis periclitantis, quoad corpus & animam; ita ut aliquando poenitentes etiam in morte Communione eucharistica privarentur, si Episcopus absens consuli non posset. Vide cap. Presbyter caus. 26. q. 6. & c. Si jubet ibid. Can. 4. Conc. Carthag. 2. Hæc ultima reconciliatio fiebat feria 5. majoris hebdomadæ, scilicet in Ecclesia Romana, & in omnibus ferme Ecclesiis Occidentalibus. Episcopus poenitentibus occurrebat ad ostium templi, ubi præmissis certis precibus & imposita manu eos reconciliabat. Reconciliati vero depositis sordidâ vestibus, barba, & crinibus, mundius ornatî procedebant.

SECTIO V.

Utrum hæc ultima & sollemnis reconciliatio post peractam poenitentiam esset reconciliatio cum Deo per absolutionem sacramentalem; an solum reconciliatio cum Ecclesia per admissionem ad Eucharistiam & aliorum Sacramentorum participationem?

Dico. Probabilis est, hanc ultimam reconciliationem non fuisse reconciliacionem cum Deo per absolutionem sacramentalem, quam supponebat; sed tantum reconciliacionem cum Ecclesia quoad oblationes & participationem Eucharistiae. Prob. 1. Sozomenus l. 7. c. 16. loquens de Poenitentiariorum, ejusque officio dicit: Ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur: ille vero pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut hæc oporteret, paræ loco indicens, absoluebat confitentes, & se ipsis penas criminum exacturos. En aperit absolutionis sacramentalis data ante satisfactionem, quæ injuncta fuerat, adimpletam. Deinde, postquam descripsit ritum in poenitentia sollemni servari solitum, significat absolutionem finalem, quæ peracta poenitentia conferebatur, esse tantum reconciliacionem cum Ecclesia, & relaxationem a penis Canonis. Ubi verb, inquit, præstitus dies advenit, tamquam debito quodam persoluto, a pena commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesie populo sociatur.

Respondet Tournely, Sozomenum hæc in parte hallucinatum fuisse. At quo fundamento id asserit? Nullum profert, nisi quod dicit hanc historicum errasse, cum supposuit in Ecclesia Romana institutum fuisse ab initio Poenitentiarium, sicut in Ecclesia Constantinopolitana. Verum esto (quod non certo constat) Sozomenum natione Græcum errasse circa id, quod fiebat Romæ, ob locorum distantiam; non sequitur, quod erraverit circa id, quod a paucis annis factum fuerat in sua Ecclesia Constantinopolitana, cui præsens aderat, & cuius facti, quod referebat, testes oculatos consulere adhuc poterat; & a quibus, si quid falsum scripsisset, mendacii argui potuisset; scripsit enim 30. vel, ut pler, 40. annis post factum Nectarii.

Prob. 2. Can. 72. Concilii Eliberitani ann. 305. sic legitur: Si qua vidua fuerit uxchata, eundem postea habuerit maritum, post quinquennium tempus, acta legitima poenitentia, placuit eam Communionem reconciliari: si alium duxerit relicto illo, nec in fine damnam esse Communionem. Vel, si fuerit ille fidelis, quem accepit, Communionem non accipiat, nisi post decem annos acta legitima poenitentia, nisi infirmitas eogerit velocius dare Communionem; atque reconciliatio per Communionem in hoc Canone non est cum Deo per sacramentalem absolutionem, sed cum Ecclesia per Eucharistiae participationem, seu jus ad illam: ergo. Prob. Min. 1. Videt poenitentem post quinquennium concedit Concilium, quod denegat in fine vite illi, quæ, relicto priore viro, alium duxerat; atque Communitio, in fine vite deneganda, non erat absolutio sacramentalis, quippe quæ nunquam ulli fine vite ab Ecclesia denegata est, reus Communitio Eucharistica: ergo. Prob. 2. Prima Min. Eodem modo intelligendum est in hoc Canone de Communionem reconciliari, & de Communionem non accipiat; atque per de Communionem non accipiat non intelligitur absolutio sacramentalis, sed Eucharistica, ut patet ex can. 3. & 78. in quibus Concilium hanc Communionem vocat Dominicam: & can. 47. de adultero relapso dicit: placuit ulterius illum non edere de Communionem patris: ergo. Confer Digress. Hist. post Dis. 8. Sect. 1. Obj. 3.

Omitto Canonem 78. Concilii Carthag. 4. Canonem 3. Concilii Arus. 1. Canonem 28. Concilii Arelat. 2. quibus probatur periclitantibus concessam fuisse Eucharistiam, consequenter prævisæ absolutionem sacramentalem; qui tamèn si superviverent, debebant adhuc sollemniter reconciliari; quia adversarii fatentur, ita fieri extraordinariè & in periculo mortis; sed non lege communi & ordinaria.

Prob. 3. Absolutio, seu reconciliatio sacramentalis cum Deo poterat concedi a simplicibus Sacerdotibus sine speciali mandato Episcopi; ultima reconciliatio non poterat concedi nisi ab Episcopo, aut a Presbyteris de ejus speciali mandato: ergo hæc

non erat sacramentalis. Item nunquam licet Diacono reconciliare sacramentaliter; licuit autem Diacono ex dispensatione Episcopi hanc ultimam reconciliacionem facere: ergo idem, quod ante Min. patet ex S. Cypriano Ep. 13. in qua mandat, ut, deficientibus Presbyteris in periculo mortis, Diaconi manus poenitentibus imposita in poenitentiam, hoc est, loco poenitentiae condentur, ipsos reconcilient. Vide locum integrum Dissert. 8. art. 1. Object. 3. Item ex Conc. Eliberit. can. 32. Vide Digress. hist. proximè citatam.

Prob. 4. Ex Can. 22. Concilii Ancyranî anno. 314. robant poenitentiam sollemnem, qui coram Deo non erant culpabiles, scilicet qui casu & involuntariè homicidium perpetraverant, eo ferè modo quo nunc justè concurrunt ad mortem alicujus, a susceptione Ordinum & eorum ministerio per irregularitatem arcantur: hi autem, epleta poenitentia, non sects, ac illi poenitentes reconciliabantur, quia per solam sollemnem reconciliacionem ab Episcopo factam terminabant poenitentia sollemnis; atque hæc reconciliatio non erat cum Deo per absolutionem a peccatis, quod nullum erat, sed cum Ecclesia, in cujus conspectu fiebat ista poenitentia: ergo.

Prob. 5. Poenitentia sollemnis protrahatur aliquando ad decem, ad viginti annos, aliquando usque ad finem vite; atque prorsus incredibile est, absolutionem sacramentalem, quæ est remedium a Deo institutum ad remissionem peccatorum, tamdiu differri iis, qui tam duram poenitentiam agebant, & qui ipsa tantæ poenitentiae susceptione se verè poenitentes probabant: ergo.

Confirm. Ad poenitentiam sollemnem non admitterentur, nisi qui verè & sincerè erant poenitentes. Ita refert Can. 11. Concilii I. Nicæni ann. 325. Quicumque ergo, germanè & verè poenitentia ducuntur, tres annos inter Auditores exigent ut fideles, & septem annis prosternerentur supplices, duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum populo participes. Unde Isaac Lingonensis in suis Canonibus c. 16. Poenitentes, inquit, qui ex gravioribus commissis poenitentiam gerunt, si ex corde poenitent, sicut Nicæna Synodus de lapsis constituit, tribus annis sint inter Auditores, &c. Vel ergo isti verè & sincerè poenitentes perfecta contritione erant justificati, vel attritione ad absolutionem sacramentalem sufficienter dispositi. Si primum, ut quid minister negasset, aut distulisset absolutionem, quam concessisset Dominus? Si secundum, & idè absolutio sacramentalis esset necessaria ad eorum justificationem, utpotè medium ad id a Deo institutum; crudelitas & barbaries fuisset a mente benignæ Matris Ecclesie prorsus aliena, nec ulla utilitate compensanda, denegare, vel tamdiu differre quodammodo deponit hoc medium, sine quo manet Dei inimicus, diaboli tyrannidi subjectus, atque frustratus merito ac satisfactione certa tot laborum, jejuniorum, orationum, & humiliorum: ergo.

Obj. 1. cum Honor. Tournely, S. Leo Ep. 91. ad Theodorum Foro-Juliensem Episcopum Ed. Par. 1661. dicit: Medicator Dei & hominum, homo Jesus Christus, hanc præpositis Ecclesie tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem poenitentiae darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliacionis admitterent. S. Leonem vero loqui de reconciliacione per absolutionem a peccatis, constat; quia in eadem Ep. jubet, ut, qui ante acceptam reconciliacionem moritur, non possit habere mortuus, quod non accepit vivus, id est, non fruatur Communionem ecclesiasticam, nec consequenter preces & sacrificia pro ipso publice offerantur; & hujus discipline rationem subjungit: Nec, inquit, necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cuius judicium nequeunt comprehendere, quod sacerdotale ministerium implere non potuit; justitiæ suæ reservaverit; ita potestatem suam timere volens, ut hic error omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis ac negligentibus accidit, nemo non metuar. Multum enim utile, ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvantur: ergo.

R. S. Leonem ibi non agere de poenitentia sollemni, sed de necessitate poenitentiae ut sit, & absolutionis sacramentalis, quam tepidis & negligentibus tempore opportuno non requirunt, & sine qua, casu interveniente, moriuntur. Patet ex his terminis, tepidis & negligentibus; & ex toto Epistolæ contextu. Nec refert, quod dicit: Si aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus: Officium enim Sacerdotis est supplicare, non solum pro publicè poenitentibus, sed pro omnibus peccatoribus. Non etiam obstat, quod dicit: Salubri satisfactione purgatos; per satisfactionem enim ibi non intelligit poenitentiam sollemnem, de qua non agit, sed quacumque poenitentiam veram & sinceram, qualis est cordis contritio, oris confessio, aliaque poenitentiae interioris indicia, quæ quendam satisfactionem includunt. Sic ipse obijciens ibidem explicat similia loca SS. Patrum contra eos, qui voluit nunc necessario esse præ-

mittendam satisfactionem absolutioni. Idquæ aperit liquet ex textu Epistolæ S. Leonis; dicit enim, poenitentibus in morte poenitentiam, & reconciliacionem, nec satisfactionem interdiciendam esse, nec reconciliacionem esse denegandam. Ubi certum est, quod per satisfactionem non intelligat opera laboriosa poenitentiae, quorum morientes non sunt capaces, sed contritionem cordis, & exteriora ejus signa.

Reponit Tournely, S. Cypriano Papa Ep. 1. c. 3. de Christianis idololatria pollutis, & subinde poenitentibus: Si respicientes aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quandiu vivunt, agenda poenitentia est, & in ultimo fine suo reconciliacionis gratia tribuenda; quia, docente domino, nolumus mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Quibus ultimis verbis significat, hanc reconciliacionem non esse ceremoniam tantum, sed etiam sacramentalem: ergo. R. N. Subsumptum. S. Cyprianus enim profert Scripturæ verba, ut probet Ecclesiam in sua praxi, non denegandi reconciliacionem poenitentibus in fine vite, imitari misericordiam Dei, qui non vult mortem peccatoris.

Instat ex Cypriano, qui sæpè conqueritur, quod iis, qui libellos martyrum habebant, pax concederetur ante sufficienter peractam poenitentiam sollemnem; atque Cyprianus hanc pacem intelligebat absolutionem sacramentalem, & reconciliacionem cum Deo: ergo. Prob. Min. Hanc pacem intelligebat, quam martyres suis libellis postulabant, quam lapsi ardentè optabant, & cum qua se ad Dominum viros confidebant; atque illa pax est absolutio a peccatis: ergo. R. N. Min. Ad Probat. N. Min. Pax enim, quam Martyres libellis deprecabantur, erat relaxatio poenæ, cui poenitentes erant addicti, & vera indulgentia, ad cujus normam nunc conferuntur Indulgentiæ po-

nitentibus sacramentaliter absolutis, in remissionem poenæ temporalis luendæ post dimissam culpam.

Urget ex Ambrosio, qui l. de poenit. c. 3. dicit: Quotiescumque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio: ergo absolutio a peccatis non conferebatur nisi cum concederetur Eucharistia. Subsumo; atque hæc non conferebatur, nisi peracta poenitentia: ergo. R. N. Conseq. ad sensum instantis. Non enim loquitur S. Ambrosius de poenitentibus publicè, & sollemniter; sed de peccatoribus generaliter, quos hortatur ad poenitentiam sub spe vite, exemplo filii prodigi; dicitque, verè poenitentibus concedi a Deo, & remissionem peccatorum, & participationem corporis Christi, sicut fit singulariter, & fiebat olim extra poenitentiam sollemnem. Undè subjungit: Ergo evidentiissima Domini prædicatione mandatum est, etiam gravissimè criminis reus, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, Sacramenti ecclesie refundendam gratiam. Quibus verbis manifestum est, ipsum non agere de poenitentia sollemni, si quidem non nisi contritionem cordis, & confessionem oris requirit ad sacram Communionem.

Plura alia Patrum testimonia objicit Tournely, sed quæ facile explicantur de reconciliacione cum Ecclesia quantum ad participationem Sacramentorum.

Ex his colliges, olim, sicut nunc, collatam fuisse absolutionem sacramentalem, statim, ac poenitentes sufficienter dispositi satisfactionem injunctam acceptassent; discrimen verò hæc in re inter nostra, & priora tempora in hoc situm esse, quod delicta severius tunc punirentur, quam nunc.

TRACTATUS DE CENSURIS, IRREGULARITATE, ET INDULGENTIIS, PERTINENS AD TRACTATUM DE POENITENTIA.

Div. Thom. Suppl. Quæst. 21. ad 27.

DISSERTATIO I.

DE CENSURIS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Censura?

Censura olim apud Romanos significabat sententiam censoris, deputati ad corrigendos mores. Translata est a Scripatoribus Ecclesiasticis ad significandum, non ipsam sententiam, sed poenam ab Ecclesia peccatoribus inflictam. Undè

Dico 1. Censura est pena Ecclesiastica medicinalis, & temporalis, privata Baptizatum delinquentem, & contumacem usu communium bonorum spiritualium. Explicatur: Dicitur 1. Pena; quia non infligitur nisi propter peccatum, illudque externum, cum Ecclesia non iudicat de internis; & mortale, quia, cum sit gravissima poena, non infligitur nisi propter grave peccatum. Et hinc excluditur Censura a divinis, quæ, prout distinguitur ab Interdicto, non est propriè poena, ut dicam modo. Dicitur 2. Pena Ecclesiastica; quia ferri non potest nisi per Superiores Ecclesiasticos, cum primò versetur circa privationem rei spiritualis; circa verò res temporales non nisi secundario, & quatenus referuntur ad spiritualia. Dicitur 3. Medicinalis; quia per eam non tam intenditur punitio peccati, quam peccatoris emendatio: unde, eo emendato, ordinariè tolli debet Censura. Et ideo additum est, temporalis. Ità expressè in Jure cap. 1. de sentent. Excomm. in 6. & cap. Ex litteris de Constitut. Ex quo sequitur, quod, ubi non est spes emendæ, regulariter non debeat infligi Censura. Dixi regulariter; quia per accidens, si esset necessaria bono communi ad terrendos, & coarcendos alios, etiam sine spe emendæ illius, qui peccavit, infligi potest, quia licet sit præcipue medicina; est tamèn etiam poena. Dicitur 4. Privata Baptizatum; quia Ecclesia non habet potestatem nisi in subditos: fit autem homo subditus Ecclesie per Baptizatum. Dicitur 5. Et contumacem, sive perseverando in peccato, sive non obediendo mandatis Superiorum. Ità in Jure cap. Ex parte 1. de verb. signifiç. & c. 1. de Sentent. Theol. Billuart Pars Tertia.

Excomm. in 6. Colligitur ex c. 18. Matth. Si Ecclesiam non audierit, id est, si non obediens ei fuerit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Atque sequitur ex hoc, quod Censura sit medicinalis. Vide infra art. 4. Dicitur 6. Privata... usu communium bonorum spiritualium; qualia sunt publica Ecclesie suffragia, spiritualis Jurisdictio, Sacrificium, & Sacramenta, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, quorum omnium dispensatio est Ecclesie commissa, ita ut eorum usum activam, & passivam possit alicui propter culpam, & contumaciam interdicerè. Quantum autem ad bona spiritualia privata, ut sunt dona gratiæ, virtutes, & bona opera, iis Ecclesia neminem spoliare potest, nec eorum usum privare.

Dico 2. Est tantum triplex Censura Ecclesiastica, scilicet, Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum. Est communior. Prob. 1. Quoties in Jure fit mentio de Censuris infligendis, aut tollendis, tantum istæ tres nominantur c. 1. cap. Statutum, & cap. Is cui de Sentent. Excomm. in 6. Undè Innocentius III. cap. Querenti de verborum significat. dicit: Querenti, quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris litteris apponimus? Respondet, quod per eam non solum Interdicti, sed Suspendionis, & Excommunicacionis sententia valeat intelligi.

Prob. 2. Neque cessatio a divinis, neque depositio, neque degradatio, neque irregularitas etiam ex delicto sunt Censurae: ergo sunt tantum tres assignatæ. Patet Conseq. a sufficienti enumeratione in Antecedente; non enim alitè assignantur ab Adversariis. Prob. Ant. per singulas partes. 1. Cessatio a divinis, quæ etiam dicitur suspendio Organorum, est prohibitio Ecclesiastica facta Clericis celebrandi divina Officia, & ministrandi Sacramenta in aliquo loco, nisi necessitas urgeat. Et quamvis videatur coincidere cum Interdicto, differt tamèn 1. quia non est propriè poena, sed simplex prohibitio divinorum ad significandum gravissimum moerorem Ecclesie ob gravissimam injuriam illi illatam, puta, profanationem Eucharistiae. Ss In-